QVAESTIO MEDICA:

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE

AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXI. FEBRVARII

M. IOANNE MANDAT DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

752

An mel ſenibus ?

QVÆCVMQVE naturæ lege imperioque continentur illa homini nata ſunt. Cum in eo, vt in cæteris animalibus continua fiat diſſipatio, Aerem ſpirituoſarum partium corporis humani pabulum, Aquam & Terram nutriendi facultate non deſtitutas, plantas occultâ & manifeſtâ proprietate morbos depellentes in communem animalium vſum natura inſtituit, vt deinde eadem animalia in ſolidæ hominis ſubſtantiæ reparationem ſuccederent. Hinc tot volatilium genera è quibus potiora alimenta petuntur, tot terreſtrium ſpecies, tantam aquatilium varietatem procreauit, tum vt eduliorum diuerſitate natiuum robur recrearet, tum vt pro multiplici temperamento, quo differunt, in hominum multifariam temperatorum vtilitatem venire poſſent, non omnia omnibus conueniunt, ſed pro ratione ætatis, ſexus, temperamenti, regionis, temporis alia atque alia inſtituenda victus ratio.

SI quibus dietæ neceſſitas ſit, maximè ſenibus propter eum, quem naturaliter ſortiuntur receſſum ab innatâ temperie (& quamuis ſenectus ipſa morbus ſit, non ſolum intemperie ſiccâ & frigidâ, ſed annorum etiam numero æſtimandus) ſenes tamen intra veræ ſanitatis limites collocare audemus, eam diætæ rationem, quæ maximè circa victum verſatur calidam humidámque eis eſſe decet, vt quantum fieri poſſit, naturalis ille marcor emendetur. Non errauit, qui vinum lac ſenum dixit, à cuius hauſtu omnes coctiones iuuantur, ſenſus vigent, & exacuitur ingenium. Balneum aquæ tepentis ante prandium prodeſt, in quo præmitti ſemper debent tenuia. Ex animalibus vſurpari poſſunt, quæ ſunt boni ſucci, concoctu facilia, calida ſubſtantifico humore referta, qualia nulla reperies in aquatilium generibus: Nulla certa ciborum quantitas ſenibus præſcribi poteſt, cum inædiam facillime ferant, ac illorum vita, vt & aliorum vltra ſeptimum diem ſine potu & cibo prorogetur.

AT non modo proficua ſunt ſeneſcentibus plantæ & animalia, ſed etiam horum excrementa vtilia, vt oua ſorbilia, quæ ſingulis diebus manu non tremula hauriri debent: Apage, qui hominis aliorúmque animalium vrinam & ſtercus deuorare ſuadent, quod faciunt, qui gemmas in ſterquiliniis ſpagyricè quærunt: neque hoc ſolum, ſed quod partim à plantis, & animalibus partim ſecernuntur, pinguiorem illum rorem intelligo, qui de cœlo cadens certo tempore horis matutinis non conficitur ab apibus, ſed excipitur, recoquitur denuo, & in fauos refuſus mel nominatur, quod purum nectar eſt naturæ, & palati noſtri delitiæ, vaporibus terræ contaminatum lædit, herbarum prauâ qualitate inquinatum necat, caue à pontico; quod è floribus optimis legitur ſalubre, quod dulciſſimum & acerrimum, colore luteum, compage neque craſſum neque concretum valde dilutum, ſed vniforme atque ita tenax vt non ſit diſtractum, aut abruptum, ceræ aut extraneum odorem non referens, guſtui gratum, coctu facile, quod à debili calore non deuincatur, & in corporis ſubſtantiam ob paucitatem excrementi faceſſat laudabilius, tale calorem adauget, deducendo humores aperit, faſtidium tollit, orexim facit, nauſeam prohibet, pulmoni & interioribus omnibus leniendo medetur.

NON eſt quod mirentur cur omnium dulciſſimum mel ſuccum generet amariſſimum, & cur id maxime ætate florentibus & calidis naturâ, & febricitantibus accidat: at in temperaturis frigidioribus ſiue propter ætatem, ſiue propter naturam corporis, ſiue ob morbum facile in bonum & moderatum ſanguinem conuertatur; cur aluum moueat picrocolis? pituitoſis verò ſiſtat? cur incoctum flatus procreat, coctum diſcutiat, vrinam promoueat, minus acre & deterſorium ſit: cur, qui melle veſcuntur μακρόβιοι & πολυχρόνιοι ſint, norunt periti: Ignorant qui viuidos latices, calidum humidum fixum potabile aurum, quibus retardetur ſenectus, adoleſcentia conſeruetur fruſtra iactitant: Vno verbo mel iis non conuenit, qui curis grauioribus, mœrore, vomitu frequentiore, largiore vini potu ſeneſcunt, ſed iis maxime, quibus calor naturalis abhabitu pituitoſo languet, & ab ætate effœtæ ſunt in corpore vires.

PESSIMA res eſt quando malorum inueteratio crebráque ſymptomatum repetitio incidit in vetuſtatem ætatis, vt in iuuentute excretio ſperabilis, ſic in ætate conſtanti abſceſſus, & ſupra illam ætatem neutrum ſperabile, quoniam in ſenectute corpora non ſolum ad motiones tarda, ſed animus quoque hebes & mens plurimum delira, hinc efficitur in opoſitione triplici τῆς ὑγείας, nihil à natura ſuſcipi nedum perfici videtur, & ſane irreparabilis eſſet temperamenti & complexionis mutatio, quam ſenectus inuexit, eſſet & deſperata exhauſtæ viuacitatis, nectarîſque viuifici reparatio, niſi conſeruaretur non ſimilibus, ſed contrariis: propterea pituitoſis naturis ætatéque & ſenio confectis frigidîſque morbis accommodatum eſt mel, quod non ſolum ſubſtantia, ſed etiam odore vitam facit longiorem, ventrem mollit, corporis habitum calefacit, raucedines & grauedines in valdè ſenibus coctionem non admittentes mitigat, in aliis ſanat. Liquoribus mixtum vires naturales in morbis ſopitas & languentes exſuſcitat, natiuum calorem recreat, proinde intus mulſo, foris oleo ſenectutem reficere oportet.

Ergo mel ſenibus. 198.



Proponebat Lutetiæ LANCELOTVS DE FRADE Molinenſis A. R. S. H. M. DC. XXX.